UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Matthaei Tympii Aureum Specvlvm Principvm, Consiliariorvm Ivdicvm, Consvlvm, Senatorvm, Et Aliorvm Magistratvvm Cvm Ecclesiasticorum tum Politicorum omnium

Tympe, Matthäus

Coloniae Agrippinae, 1617

15 Magiam maleficam extirpare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52641

Visual Library

SIGNVM XV.

MAGIAM MALEFICAM exſtirpare.

Tiberius Imperator Romæ, inter alia laudatiſſima Edicta, quæ promulgauit, vt de veſte ſerica non vtenda, neque vaſis aureis, niſi in ſacris, aliud addidit aduerſus Magos & quoslibet diuinationes exercentes: (*vide Theatrum Vindict. Diuin.*) quos omnes ſeueriſſimo Edicto exagitauit. Cauſſam eius legis ferendæ narrat *Dio lib. 57.* his verbis: Etſi Thraſillo aſſiduè vtebatur, ac ſingulis diebus vaticinia accipiebat Tiberius, tamen re accuratè conſiderata, cùm aliquando per ſomnum iuſſus eſſet cuidam argentum dare, hominem interemit, quòd intelligebat per Magicam artem dæmonem immiſſum fuiſſe: reliquos omnes Aſtrologos, Magos, aut quicunque aliquopiam modo diuinationes exercerent, exteros necauit: ciues (qui, etiamnum neglecto priore Edicto, quo prohibitum fuerat, vſu harum artium omnibus, qui in Vrbe eſſent, tractare eiuſmodi res deferrentur,) extorres egit: qui verò deſtitiſſent, impunitatem conſequebantur. Meminit eiuſdem Sanctionis *Plinius Nat. hiſt. lib. 30. c. 1.* vt conſideratione ſit dignum, adueniente Chriſto in mundum, Magos ex Oriente venientes, ipſum Dominum cognouiſſe, & adoraſſe: dæmones in AEgypto perterrefactos, Roma, itemque ab Italia Magos expulſos, & in eoſdem ſeueriſſimè lege actû eſſe: venerat enim in Orbe ille, qui aduerſus dæmones bellum indiceret, eorumque vires infringeret, & ſub eodem Imperatore Crucem perferendo,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

rendo, ſibi cuncta ſubijceret. *Vide etiam Annal. Taciti lib. 2. & Cæſ. Baron. Tom. 1.*

SIGNVM XVI.

MAGISTRATV COMMVNI CERto tempore haud grauatè abire.

Magiſtratũ libenter deponere.

COmmunem Magiſtratum ita verti expetunt Philoſophi, vt ſtatis temporibus hi munus ineant, alij deponant; hi inaugurentur, alij cedant, ſeu faſces ſui imperij abijciant.

1. Vt ciues ſtimulis honoris ad virtutis ſtudium alacrius incitentur. Nam Deus in libera ciuitate prẽmiũ virtutis quaſi in ſtadio palmam omnibus propoſuit, cuius ſpe ſublata, quis curret? quis laborabit? Certè vt honos artes, ita ſpes dignitatis ciues ſtudioſos alit, qui acceſſum ad Remp. quotidie ſuis factis quærunt & demerentur.

Spes ciuium præmium virtutis, & honoris participatio.

2. Vt ciues conſilij & Magiſtratus pro merito virtutis participes fiant. Hinc Romani à rebus ad Senatum, à ceſpite ad ſolium dignitatis plurimos euehere & promouere ſolebant. 3. quia iuſtitia ideo lances Reip. tenet, vt dignitates ciuitatis non vni perpetuas, ſed ſingulis promeritas distribuat, ac partiatur: quod certè fieri non poteſt, ſi omnes Magiſtratus perpetui creentur. Fieri non poteſt ſine ciuium iniuria, vnus vt ſemper ſedeat ad gubernacula, alij ſentinam exhauriant. Quod ergo ille de militibus in bello, id hi de Magiſtratibus in pace dicunt.

Ariſt. 2. Pol. c. 1.

Magiſtratus ambulatorij.

Succedant, ſeruentq́; vices.

Cauendum tamen præcipiunt in iſta viciſſitudine, vt ſaturis famelici, (in aurea meſſe cantis,) expertis rudes, & imperiti; iuſtis, & iniu-